



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ceadda Ep. 2. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

fanum proximum inferunt, & frustra omnibus precibus armatas Martis aures pulsant. Nimirum vitam ille redderet, qui aufert omnibus? Quod tamen hujus non potuit, IESV nomen invocatum à SVVIBERTO potuit, & puer in vitam revocatus plures à superstitione revocavit. Denique stella nobilis SVVIBERTVS cum diu in terris egisset, locum suum, ex quo venerat, repetiit. *Ex Surio.*

S. CEADDA EP. 2. Martii.

MOrtem ut ne timeas, time Lector: neque enim illi olim timent, qui nunc timent; id quod CEADDA Merciorum & Lindisfarnorum in Angliâ Episcopus manifestum faciet. Obiit ille anno post orbem restauratum Septuagesimo secundo supra sexcentessimum. Gremium mortuo MARIAE templum prabuit, ipse agris asylon tumulum suum, cujus pulvis haustus morbidis quamplurimis saluti fuit. Cæterum solitus est, dum vixit, quoties vehementior cælo ventus insurgeret, humi se abjicere magnisque vocibus *Misericordiam* DEI implorare; jam cælo gravius succensente, & fulgura tonitruaque miscente, ad templum fugere & aram; neque ibi prius sibi à lacrimis temperare, quam iterum Sol rideret. Causam interrogatus, respondit, ex his veluti præ-

præluuiis æstimare se illum supremum ac decretorium diem. Vtique minùs tunc hominē fulgurantes iudicis oculos, & fatalem ab arcu sententiam detonantē laturum. Sed talis CEADDA nunquam magis serenum cælum quàm moriens aspexit. Siquidem septem continuis diebus aspectabiles è cælo Angelos habuit, qui ad cæli gaudia invitarent emeritum, utque aures faciles impetrarent, ah ! quali musicâ has demulserunt. Vltimo cum iisdem frater CEADDAE adfuit, qui cum nuper adeo in cælum ivisset, viam scilicet nunc germano monstravit. *Ex Bedâ Histor. Eccl. Gent. Angl.*

S. VVINVV ALOCVS C. 3. Mart.

EX regio sanguine Anglorum se ortum VVINVV ALOCVS vel ex hoc ostendit, quòd puerulus jam omnia præ se despexit, id demum regium ratus non terræ particulam aliquam, sed omnem omnino pedibus mundum subdere. Sed religionem cogitanti obstitit pater, magnum apud filios nomen, & pietatis hodie etiam remora. Disiecit tamen etiam hoc obstaculum fulmen, quod deprehensum in campis patrem tam diu humi afflixit, dum filium cælo, & religioni non invideret. In hanc receptus magnis statim ostentis cœpit eminere. Illud, puto, multis